

# Bulla de nuestro sanctissimo

Padre Paulo Papa Quinto de la Beatificacion del Beato  
Ignacio, Fundador de la Compania  
de IESVS.

PAVLVS PAPA V.



Ad perpetuam rei memoriam, in Se-  
de Principis Apostolorum, nullis  
licet nostris suffragantibus meri-  
tis, à Domino constituti, pijs fide-  
lium votis, quibus virtutum Do-  
minus in seruis suis honorificatur,  
libenter annuimus, & Apostolica  
auctoritate indulgemus, prout in  
Domino còspicimus expedire. Sa-  
nè dilectorum filiorum Claudij Aquæuiuæ Præpositi Gene-  
ralis, ac omnium Religiosorum Societatis Iesu nomine  
nobis nuper expositum fuit, quòd bonæ memoriæ Igna-  
tius de Loyola, præfatæ Societatis Iesu fundator, multis, &  
eximijis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Do-  
mino illustratus fuit, & ideo magna est erga eius nomen, &  
memoriam, Christi fidelium deuotio. Quæ propter non so-  
lù vniuersa Societas præfata, sed etiam omnes ferè charissi-  
mi in Christo filij nostri, Reges, & dilecti filij nobiles viri,  
Principes Catholici, necnon nonnulla Metropolitanarum,  
& Cathedralium Ecclesiarum capitula, multarumque ciui-  
tatum communitates, & homines, nobis iteratis precibus hu-  
militer supplicari fecerunt, vt donec canonizationis honorè,  
quem dicto Ignatio ob eius excellentia merita, aliquando  
diuina adspirante gratia, habitum iri sperant, ab Apostolica  
Sede impetrent, eundem Ignatium Beatum vocari, & de eo-  
dem officium, & Missam, tam in vrbe, vbi eius corpus sepul-  
tù esse asseritur, quàm vbique à Presbiteris Clericis, & alijs  
Religiosis ipsius Societatis, tanquàm de vno Confessore nõ  
Pontifice recitari posset. Quare re priùs per venerabiles fra-  
tres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sacris riti-  
bus præfectos, quibus eam examinandam mandauimus, ma-  
turè discussa, de eorundem Cardinalium consilio, huiusmo-  
di

di supplicationibus inclinati, vt ipse bonæ memoriæ Ignati-  
us de Loyola, prædictæ Societatis fundator, in posterum  
Beatus nuncupari, deque ipso, tanquam de Beato, in omni-  
bus Ecclesijs, & locis eiusdem Societatis Iesu ab ipsis Presbi-  
teris, & Clericis dictæ Societatis tantum, officium, & Missa de  
communi vnus Confessoris non Pontificis, in die eius ob-  
dormitionis in Domino, die vltimo Iulij recitari, & celebra-  
ri possit, & valeat, & præterea in eadem vrbe dicta die in Ec-  
clesia Societatis Iesu tantum, vbi dicti Beati Ignatij corpus,  
vt præfatur, requiescere asseritur, omnes Presbiteri, tam se-  
culares, quam regulares, Missam in honorẽ ipsius Beati Igna-  
tij, pro eorum deuotione celebrare, liberè & licitè possint, &  
valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpe-  
tuò concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitu-  
tionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Societatis,  
etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis fir-  
mitate aliã roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisq;  
contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt præsentium  
transumptis, manu alicuius Notarij publici, vel Secretarij  
ipsius Societatis subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesia-  
stica constitutæ, seu etiam eiusdem Societatis sigillo muni-  
tis, eadẽ vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhi-  
beretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Data Romæ apud  
Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris  
1609. Pontificatus nostri anno quinto.

*Scipio Cobellutius.*

*Bernardus de Angelis*  
*Secretarius.*

Locus  sigilli.